

10
A
66

BU Kp
8

Y 9 4 8
G 11

9
9

Q. D. B. V.
DISPUTATIO PHILOSOPHICA,
exhibens
SOLIS QUIETEM
ET
TERRÆ MOTUM,

Quam
Auxilio Numinis Divini assistente,
P R Æ S I D E
V I R O *Excellentissimo Clarissimo nec non*
Doctissimo


DN. GEORGIO OTHONE,
Phil. Mag. Lingg. & Poës. Prof. Ordin. nec
non Academiæ Bibliothecario, Patrono
atq; Præceptore suo nunquam non
devenerando colendo,

Ad diem 23. August. Anno M. DC. XC.

Horis locoq; solitis

publicè ventilaudam proponit

IOHAN. WERNERUS Baur/
Author & Respondens.



Marburgi Cattorum,

Typis JOH. JODOCI KÜRSNERI, Acad. Typogr.
Anno M. DC. XC.

DEO
PATRIÆ
&
AMICIS.



Præfatio ad Lectorem.



Vemadmodum Sol lucem suam, quâ
splendet, reliquis mundi corporibus
communicat, Terramque, quam in-
colimus, radiis suis illustrat, in pri-
mis cum à rigido brumæ Sydere a-
scendens propius ad nos devolvitur:
Sic quoque D. O. M. animos nostros splendidissi-
mis sapientiæ suæ radiis illustrat, & prout omne
bonum est communicativum sui, reliquias imagi-
nis suæ post miserum Protoplastorum lapsum pecu-
liari spiritûs sui afflatu in nobis renovat, ut ita
mentes nostras ex sordidissimis mundanæ vanitatis
cupiditatibus ad altiora erigamus, & ipsam veræ
sapientiæ possessionem assiduis & indefessis labori-
bus, ac curis invadamus. Et sanè si illiberales,
quas vocant, artes propter rei familiaris utilitatem
& opum, quæ plerumque incitamenta sunt malo-
rum, amplificationem, tam studiosè addisci à vulgo
videmus: quæ studia, quas meditationes non requi-

ret vera Philosophia, per quam tales nobis compa-
 ramus opes, quæ nobis nullò neque incendiò, neque
 naufragiò eripi, nullâ ærugine aut putredine cor-
 rumpi aut interire possunt: quâ non solum D.O.M.
 omnium rerum unicum creatorem ac conservato-
 rem, sed & ipsas res creatas, mentes nostras, omnia-
 que tam cœlestia quàm terrestria corpora cognosci-
 mus. Quod ut exemplo aliquo probatum darem pul-
 cherrimum theoremata de eâ, quam inter Solem &
 Terram observamus, sitûs mutatione, examinan-
 dum duxi, eam non in Solis, sed Terræ delationem
 esse referendam firmissimis rationibus demonstra-
 turus. Ut verò tantò expeditiùs in propositâ disserta-
 tione progrediamur, eam in tria capita dispescemus,
 quorum primum in causas inquiret, cur illustris
 Cartesii Philosophia tam odiosa sit apud multos atq;
 suspecta: Alterum Solis quietem: Tertium deniq;
 Terræ motum vindicabit. In B. L. conatibus no-
 stris fave, & omnia ad majorem Dei gloriam unâ
 mecum referto.

CAPUT PRIMUM,

Invidiam novitatis amolientis;

THESIS I.



Magnas hodiè inter eruditos homines dissen-
 siones multasque contentiones de vero ra-
 tionalis Philosophiæ pretio vigere, nemo
 est, qui ignoret. Siquidem experientia satis
 testatur, vix duos aut tres convenire posse,
 quin

quin statim materia in promptu sit, de quâ alter alteri li-
 tem intendat. Mox enim aut de existentia Dei, aut de
 materia subtilissima, aut de vorticibus coelestibus, aut de
 quiete Solis Terræque motu, aliisque id genus quæstio-
 nibus verba fiunt: ubi hæc & similia magno cum fervore à
 multis oppugnari videas, qui tamen præjudiciis excæcati
 vix quicquam clarè atque distinctè percipere, multò mi-
 nùs veram alicujus rei rationem reddere possunt; ab aliis
 contra ob certissima quibus nituntur fundamenta (de-
 monstraciones nempe Mathematicas) tantâ promtitu-
 dine recipi, ut de eorum veritate dubitare amplius nullo
 modo possint. Cur autem Philosophia ista, quæ vulgo
 Cartesii dicitur, apud multos adhuc tam odiosa atque su-
 specta sit, plures assignari possunt rationes: prima est, quòd
 multi ab ineunte ætate Aristotelicæ Philosophiæ innutri-
 ti, eam multos per annos pro verissima aliis inculcârunt;
 unde sibi ignominiosum fore putant, si vel opiniones
 suas retractare, vel iterum personam discantis in se susci-
 pere, novamque istam Philosophiam à carceribus decur-
 rere debeant. Verùm cum nemini unquam vitio verti
 consueverit, quòd relictis erroribus veritatem amplexus
 sit, certè nec ipsis ignominiosum esse potest, si agnitos er-
 rores emendent & veram istam amplectantur Philosophi-
 am. Nam in scholâ veritatis & vincere & vinci pulchrum
 est; *nec pudor est nil scire, pudor nil discere velle.*

THES. II.

DEinde reperiuntur, in quorum mentibus Philosophia
 Aristotelis tam profundas egit radices, ut ipsis si ma-
 ximè velint impossibile sit, de ea emendanda cogitatio-
 nem suscipere, secundùm illud Poëtæ:

Quo semel est imbuta recens, servabit odorem

Testa diu:

A 3

Et

Et hi in verba Aristotelis jurâsse videntur, adeò ut ne latum quidem unguem à Præceptoris placitis recedant, existimantes tantum in veritatis cognitione ab Aristotele & veteribus esse præstitum, ut nihil ampliùs posteris relictum sit, quod inveniant. Hinc quotidie in ore habent illud Terentianum : Nihil dicitur, quod non dictum sit prius. At profectò cum magno mentis humanæ dedecore cantilenam istam canunt, eâque juniorum conatus everunt. Verum quidem est, multa præclara à veteribus esse inventa; falsissimum autem, nihil fuisse ab ipsis ignoratum, nec posteris, quod inveniant, relictum. Et sanè quotidiana experientia homines istos falsitatis manifestissimè convincit. Si enim Astronomiam nostram cum illâ veterum conferant, magnam certè differentiam inter utramque invenient. Quantum porrò Geometria & Optica, totaque adeò Mathesis, & in universum Philosophia nostra ab antiquâ differat, quantisque intervallis eam post se relinquat, scripta Neotericorum & Cartesii imprimis, clarissimè demonstrant. Quòd verò non omnes veritates illas in Cartesii scriptis videant, in causa sunt præjudicia, cum quibus lectionem illam suscipiunt: unde fit, ut obiter saltem aliquot percursis paginis, cum ad locum aliquem calumniæ obnoxium v. gr. de dubitatione, perveniunt, statim eam abjiciunt & ad Garamantas & Indos ablegant, & non modo magnis conviciis authorem onerant, sed & ejus Philosophiam tantoperè apud alios calumniantur, ut ipsis quasi horrorem incutiant. Videas enim, qui illum pro Atheo traducant, & junioribus ut sibi ab istâ deceptrice Philosophiâ caveant, multis verbis inculcent; illam directè verbo adversari divino, quia dubitare doceat de Dei existentia, quod Christianis horrendum dictu, causantes. Sed isti homines Philosophi verba
alle-

allegant, ut Diabolus scripturam sacram, dum nempe illa, quæ clarissimè Dei existentiam probant, omittunt: atque hi adeò quia, quam totam nunquam perlegere voluerunt Philosophiam, tam ignominiosis lædunt atque contemnunt verbis, indigni sunt, qui fructum in eâ contentum percipiant.

THES. III.

DEnique tertio quidam reperiuntur, qui tot quidem Doctorum & piorum Virorum, quibus seculum hoc abundat, exemplo incitati, relictis veterum somniis ad veram Philosophiam se accingunt, infinitaque dubia, quæ ex veterum placitis clarè & distinctè percipere non poterunt, tam clarè & perspicuè sibi explicata inveniunt, ut de illis dubitare amplius non possint: Sed quia timent ne propter ingrati istam Philosophiam odium quorundam Patronorum aut amicorum incurrant, statim ad nutum illorum agnitam veritatem iterum relinquunt, pristinosque errores in hominum gratiam denuò amplectuntur. Er hoc hominum genus simile est temporariis istis pseudoChristianis, qui ortâ persecutione aut compressione propter sermonem, statim offenduntur; de quibus Christus Matth. 13. v. 20. Verùm enim verò erectiores animi, & *queis meliore luto finxit præcordia Titan*, veritatem ceu verum animi humani pabulum, omnibus hujus mundi deliciis præferunt, neque ab ea se aut pudore ac ignaviâ, aut præjudiciis & veterum reverentiâ, aut denique injustis hujus mundi odiis atque calumniis se abduci patiuntur. Inter quos etiam nos nomen profitemur nostrum, eâ spe freti veritatem ut rem divinam premi quidem ab illius hostibus, opprimi tamen non posse. Adeòque bono cum Deo propositum thema alacriter aggredimur.

CA-

CAPUT SECUNDUM,

De Solis quiete.

THES. I.

ANtequam verò ad rem ipsam accedamus, pauca nobis de terminis nostri problematis præmonenda restant, ut sciatur, quid per motum & quietem intelligamus. Et motus quidem à Peripateticis vel generaliter vel specialiter sumitur: generaliter pro quavis mutatione, quâ dissimilitudo aliqua in corpore naturali oritur. Et sic notat quamlibet mutationem, tam substantialem, quam accidentalem, adeoque ambitu suo sex mutationis species comprehendit, nempe Generationem & Corruptionem, Augmentationem & Diminutionem, Alterationem denique & motum localem. Quam divisionem sic probant: Quicquid mutatur, mutatur aut *κατὰ τὴν οὐσίαν*, sive secundum substantiam, hinc Generatio & Corruptio, aut *κατὰ τὸ ποσὸν* sive secundum quantitatem, hinc Augmentatio & Diminutio; aut *κατὰ τὸ ποιόν*, sive secundum qualitatem, hinc alteratio: aut denique *κατὰ τὸν τόπον* sive secundum locum novumque ubi, hinc motus localis. Secundò sumitur specialiter pro motu in accidentibus, & sic mutationibus substantialibus, Generationi & Corruptioni, contradistinguitur. Nam cum omnis motus propriè dictus cum successione fiat, generatio autem & corruptio momento aut instanti peragantur, hinc motus strictè dictus, non nisi de mutationibus hisce accidentalibus dici poterit. Sed nos cum Cartesio solum motum localem, cujus reliqui enumerati vel effecta vel species dicunt, agnoscimus, neque ullum alium in rerum naturâ fingendum esse statuimus. Est autem motus iste localis accuratè & Philosophicè

phicè loquendo, nihil aliud, nisi translatio unius partis materiæ, sive unius corporis ex viciniâ eorum corporum, quæ illud immediatè contingunt & tanquam quiescentia spectantur, in viciniam aliorum. Hic autem per unum corpus, sive unam partem materiæ, id omne intelligitur, quod simul transfertur, licèt rursus hoc ipsum constare possit multis partibus, quæ motus alios in se habeant. Quoniam verò vulgò etiam moveri dicuntur, quæcunq; situm inter alia, etiam remotiora, sive per se, seu per accidens mutant, fit ut eadem res pro diversâ acceptione moveri & non moveri dicatur. Sic homo in navi per flumen descendente dormiens, gemma in annulo circa digitum rotato, vulgò moveri, sed propriè quiescere censentur. Sed hæc de motu dicta sufficiant, nunc quoque videamus, quid sit quies.

THES. II.

Quies itaque juxta Aristotelicos est privatio motûs in subjecto ad eum recipiendum idoneo. Notanter hic fit mentio subjecti ad motum habilis & idonei: illud enim, quod planè moveri nequit, sive prorsus ad motum recipiendum inhabile & ineptum est, quiescere dici non potest. Sic lapis ab ambulatione quiescere non dicitur, quia ad eam non est aptus: nam requiritur insuper tempus, quo subjectum est aptum & habile. Hæc quies porrò dupliciter ab iisdem considerari solet, primò quando est in re mobili, quæ propensionem ad motum habet, & tunc est mera privatio motûs, aut secundò quando est in re, quæ propensionem ad motum deposuit, assecuta scilicet id, ad quod movebatur, & tunc simul est motûs perfectio. Prioris exemplum suppeditant arbores, quæ hyeme à fructificatione quiescentes à motu cessant, postmodum verò in æstate iterum moventur, adeoque hyberna illa ar-

B

borum

borum quies privativè futuro arborum motui opponitur. Posterioris exemplum exhibet calefactio, quæ in calore sufficienter producto terminatur & quiescit, adeoque illa quies non privatio, sed complementum calefactionis est. Verùm Cartesio quies, æquè ac motus, positiva quædam corporis qualitas est, quâ illud intra corpora proximè ambientia permanet, situmque quem habet retinet; sicque motui non privativè, sed contrariè opponitur. Et sic vulgò de permansione in eodem situ inter corpora remota accipitur. V. G. Navis si à vento tam celeriter sursum, quàm à flumine deorsum, impellitur, quiescere inter ripas vulgò censetur.

THES. III.

Iam etsi Sol omnium oculis expositus est, variæ tamen de ejus naturâ opiniones celebrantur. Veterum quidam eum pro nubecula, alii pro lapide ignito, Aristoteles pro densiori orbis sui parte habuit. Nobis cum Neotericis est materia subtilissima seu primi Elementi, in medio vortice sui centro consistens, cum stellis fixis eandem habens naturam. Sicut enim fixæ propria fulgent luce, eandemque semper à se mutuò distantiam, eundemque ordinem ac proprium locum continuò servant, ita Solem quoque propriâ fulgere luce, dubium esse non potest: siquidem lucem, quâ oculos nostros perstringit, tantam ab omnibus fixis simul sumtis mutuari non potest; cum ipsæ omnes tantam ad nos lucem non mittant, nec tamen magis à nobis, quàm à Sole, sint remotæ; neque ullum aliud corpus magis radiosum, à quo Sol tantam lucem accipiat, in rerum naturâ reperitur, aut, si fortasse aliquod fingeretur, procul dubio tandem aliquando appareret. Quoniam itaque Sol in eo cum fixis convenit, & quoque cum flammâ, quòd lumen à se emittat, necessario etiam in motu cum
flam-

flammâ , & in situ immoto cum fixis convenire debet. Nihil enim mobilius supra Terram, quàm per divinam gratiam inhabitamus, quàm flammam dari videmus.

THES. IV.

VT autem iste flammæ motus fit tantùm secundùm partes, nec ipsa tota ex uno loco solet migrare in ali- um, nisi forsitan ab aliquo robustiore, cui fortè adhæ- ret, corpore deferatur: ità quoque existimamus, Solem constare quidem ex materâ quâdam fluidissimâ & ad mo- tum aptissimâ, quæ omnes cœli partes circumjacentes se- cum rapit, in eo autem nihilominùs stellas imitari fixas, quòd non ex uno loco seu regione cœli in aliam migret. Quòd si comparatio Solis cum flammâ paulò obscurior vi- deatur, quia nulla in rerum natura reperitur flamma, quæ non continuo egeat alimento, quod verò de Sole nunquã est observatum; notandum primò, quòd flamma, sicut reliqua omnia corpora, ubi semel existit, ibi existere per- leveret, nisi fortè ab externâ destruaturs causâ. [2] Quòd, quia mat- iâ constat quàm maximè fluidâ atque mobili, & assiduè a materiâ circumjacente dissipatur, idcirco e- geat alimento continuo, non ut eadem, quæ jam existit, flamma conservetur, sed tantùm, ut, dum illa extingui- tur, semper alia nova in ejus locum substituatur. Quòd autem Sol non eo modo alimento, quo reparetur, egeat, hoc exinde fit, quia partes cœli ei vicinæ eum non simili modo, sicut flammam, destruunt. Ex his ergò manifestè satis apparet, Solem quantumvis fluidum, adeoque per partes celerrimè agitatum, secundùm se totum immotum consistere, inque proprio suo loco, quem intra vicinum cœlum obtinet, semper permanere, in eoque cum omni- bus fixis convenire. Fixæ autem inde appellatæ sunt, quod

ipsarum nullus motus progressivus, qui ipsis proprius esset, ab occasu videlicet in ortum, observari potuit, sed eundem semper in coelo suo locum servârunt: & hæc prima est pro ejus immobilitate, à natura ejus desumpta, ratio.

THES. V.

ALterum, quod Solis immobilitatem probat, argumentum ab illius magnitudine petimus. In confesso enim est inter Astronomos tam veteres quàm recentiores, Solem Terrâ esse multò majorem, eamque magnitudine centies sexagies quinquies superare. Jam quis non absurdum, planeque contra naturam existimet, ut corpus illud magnum, nempe Sol, circa corpus minus, nempe Terram, deferatur atque moveatur: cum Terra multò minorè circum Peripheria sua describat, multoque commodiùs conversionem suam instar rotæ circa axem, viginti quatuor horarum spatio absolvere possit, quàm corpus tantò majus orbitam suam circa Terram. Et posito, Solem circa Terram moveri debere, spatio viginti quatuor horarum, nonne ex motu isto celerrimo, qui multò celerior esse debet propter magnitudinem circuli, quem describit, quàm motus Terræ, maxima oriretur confusio? Cùm enim, ut suprâ dictum, Sol vera flamma seu ignis sit, & à quodam non incommodè mare igneum appelletur, non solùm eminenter sive virtualiter (prout hunc mundum sublunarem radiis suis calefacere Peripatetici putant) sed etiam formaliter ratione principii intrinseci, ignis nempe substantialis, ità ipsius materiæ impactus, ut illo perpetuo flagret, certè si motu progressivo uteretur, omnia corpora, planetæ unà cum Terra, quæ in Planetarum numero meritò censetur, Vulcano sacrificarentur, omniaque quæ Solem paulò propiùs attingerent,
com-



comburerentur, adeò ut omnibus rebus totius mundi destructio & interitus jam dudum accidisset. Quod cum experientia adversetur adeoque absurdum sit, vero magis consentaneum est, quòd Sol, sicut omnes fixæ, in loco suo quiescat.

THES. VI.

Tertio denique Sol est fons & principium secundarium omnis motus in toto hoc vortice, eoque, quemadmodum *πρώτον κινητικόν* in microcosmo cor, fons & origo omnium in corpore motionum, in centro veluti corporis residens, in se ipsum quasi convertitur, perque illam in systole ac diastole contractionem & dilatationem totam sanguinis massam, & cum ea motores partium spiritus, quaedam quasi circulatione, per universum agit corpus: sic quoque Macrocosmi planetici sive primi cœli cor, Sol, post Deum primus existimari debet motor, qui omnia hinc movet & à nullo alio corpore movetur. Nam quia mundus hic, sive vortex noster satis perfectè rotundus est, & varios planetas tanquam membra quædam complectitur, qui à Sole illuminari & calefieri oportet, nihil commodius est, quàm ut ipsius quasi cor, nempe Sol, sit præcisè in medio, unde prospectus datur & influxus æqualis in omnia universo contenta, neque unquam ex medio xumo isto loco aliorsum moveatur, sed quietus maneat. Quamquam autem Solem ex centro ipso nunquam digredi statuimus, negare tamen nolumus, quòd sine loci istius mutatione circa axem suum in se ipsum convertatur, motu nempe conversionis, ab occasu in ortum, viginti sex circiter dierum spatio. Denique hæc corporis sui rotatione super axe proprio, Sol, mediante radiorum emissionem, seu perpetuis lucis & caloris effluviis, unà cum corpore ipsius instar vorticis rapidissimi circumrotatis, reliqua quoque

corpora mundana ac solidiora, pro intervalli ac distantiae ratione, tum & peculiari quâdam in iis ad hunc motum dispositione, eodem quo ipse modo, inque eandem plagam ab occasu nempe in ortum circumgyrare facit. Atque adeo his aliisque, quas brevitatis causâ omitto, rationibus persuasus, cum Copernico, Cartesio & plerisque recentioribus quietem Soli tribuere non dubito. Restat nunc ut argumenta *τῶν ἐξ ἐναντίας*, sed præcipua solùm, breviter proponamus, illorumque infirmitatem perspicuè demonstremus.

THES. VII.

PRæcipua autem sunt loca aliquot ex sacro codice deprompta, quæ Solis motû astruere videntur, V. G. illa Jos. *Tunc allocutus est Iosua Iehovam, quo die exposuit Iehova hunc Emorrhæum filiis Israël, & dixit ante oculos Israël: Sol in Gibone subsiste & Luna in valle Ajalonis: substitit ergo Sol & Luna stetit, donec vindicata esset gens Israëlitica ab hostibus suis. Nonne hoc scriptum est in libro recti: stabat autem Sol in medio cæli neque festinabat ad occasum quasi diem integrû. Ios. X. 12, 13.* Et hunc locum quidam ita urgent, ut ne latum quidè unguem à verbis recedendum esse putent. Nam, inquit, quænam species erit probabilitatis, quòd Josua spiritu sancto plenus, tã ruditer, sensu veritati rei contrario, loqui voluerit? Sed respondemus cum Cl. W. Nusquam in sacro codice legimus, Josuam Astronomiæ peritum fuisse: & ut fuerit, apud imperitam multitudinem agebat, quæ de Sole & Terra ex sola apparentia & visu judicare consuevit. Ad quam visûs existimationem sacra scriptura, ne crucem auditoribus suis figat, passim se accommodat, dum non solùm Terræ, sed & ipsi etiam cælo planitiem & fines ascribit, Ut: Si fueritis dispersi usque ad extrema cæli, inde vos recolligam. Et: Ab extremitate digressio ejus usque
ad

ad extremitatem ejus. Ps. 19. Et quis unquam mortalium ambigere fuit ausus, quin Soli æquè ac Lunæ eadē temper ac sua conveniat magnitudo? Nudo tamen visûs judicio scriptura se applicans, diversam iis tribuit magnitudinem. Sic Sol, quia, cū oritur aut occidit, ingens apparet, in egressione & principio cursûs comparatur giganti, Psal. 19. Sic Luna, cū pleno vultu oritur, magni cujusdam vasis orbem seu fundum æquare videtur, cū autem propiùs verticem fuerit, eadem humani ferè vultûs latitudinem præ se fert, figuram nempe disci plani & circularis. Hæc verò cū constet non juxta accuratam rei naturam, sed ad humanam existimationem accommodatè à spiritu sancto dictata esse, quia aliàs rectæ rationis dictamini & infallibili demonstrationi adversaretur, quidni & illud de Solis motu simili sensu accipiemus? Quid, quòd ipsa sacræ scripturæ dicta sibi non apparenter, sed vere contradicerent, nisi eam alicubi per apparentiam exponeremus? Eadem enim Sacra Scriptura, quæ Terram esse planam & finitam dicit, eam alibi rotundam asserit, unde orbis Terrarum appellatio defluxit, tam in sacris, quàm apud nationes cæteras usurpata.

THES. VIII.

Quare nos cum celeberr. Wittich. verba scripturæ ita interpretamur, ut dicamus hæc verba: *Sol sta, & Sol stetit*, esse intelligenda non simpliciter, sed secundum, quid, hoc nempe sensu: *Sol sta mihi & Sol stetit Iosua*, nempe per lucis continuatam præsentiam, quæ Josuæ sufficiebat ad extinguendos hostes. Utrùm autem hoc factum fuerit per Terræ motûs inhibitionem realem, Solis verò apparentem; An verò motûs realis, qui in Sole fuerit inhibitionem, Scriptura non determinat. Nec enim absurdum videtur, si dicamus Josuam non omnia scivisse, quæ



quæ pertinebant ad res naturales, quamvis spiritu sancto fuerit plenus; ad hoc enim spiritus sanctus ipsi non erat datus; nihilque inconvenientiæ futurum existimamus, si dicamus, Josuam ibi opinionem Vulgi secutum, & opinatum fuisse, quòd Sol motu suo circa Terram diem efficeret, & hinc petiisse, ut ejus motus aliquamdiu sisteretur, & ut dies continuaretur, quo vindictam de inimicis Dei & populi Israëlitici sumere posset.

THES. IX.

Verùm excipiunt, si spiritus sanctus se ad vulgi opinionem accommodaverit, multò magis Philosophis hoc faciendum. Sed respondemus primò, cum Vulgo Philosophiam non esse tractandam, propter rudes eorum atq; inexercitatos animos, sed cum illis, quibus D. O. Max. subtiliora fortè concessit ingenia. Deinde Vulgum sæpe priùs atque faciliùs Solis comprehendere quietem, si nempe ipsis clarè & distinctè proponatur & explicetur, quàm quidam ex Doctoribus, qui ex sola animi obstinatione atque pervicacia Solis quietem & motum Terræ percipere nequeunt. Cujus rei non unum fortè nobis suppeditare potest clarissimum exemplum, inclyta quædam Germaniæ Urbs, in qua Mathesis, quatuor diebus per septimanam Germanicè, non solùm in commodum Minorum Studiosorum, sed maximè propter cives, qui magno numero in auditorio conveniunt, tractari solet. Hic enim multi ex illiteratis & opificibus non solùm ea, quæ explicantur, percipiunt, sed & omnia artis suæ opera secundùm præcepta Mathematica instituunt, adeò ut multas novas res ope Matheseos inveniant, multo que faciliùs peragant, quàm reliqui, qui forsitan commoda hæc vilipendunt atq; contemnunt. Sed hæc de Solis quiete ejusq; defen-

defensione dicta sufficientiant, progredimur nunc ad ultimam partem nostri propositi, nempe de motu Terræ, eundem similiter paucis verbis demonstraturi.

CAPUT TERTIUM,

THESIS I.

Iam nemo ignorat, quod Terra corpus sit, opacum lumen à Sole acceptum reflectens undiquaque materiâ cœlesti involutum. Dicitur autem Terra quasi à terendo, quia eam pedibus calcamus & terimus. Ex quo satis intelligitur, quid Terræ nomine intelligamus, nempe globum illum Terraquæreum una cum illis corporibus, quæ in his tribus regionibus continentur usque ad concavum Lunæ. Hanc ergo cum nullis columnis suffultam, nullisque funibus appensam, sed circumquaque fluidissimo cœlo cinctam videamus, majorem statim pro illius motu, quam quiete propensionem in nobis experimur. Motum autem intelligimus non proprium, sed communem, quo ipsa in parte cœli quam occupat immota operâ cœli fluidissimi perpetuo in se circa proprium axem se circumgyrat, & circa aliud extra se corpus, puta Solem in centro residentem progreditur, idque tantam cum regularitate & uniformitate, ut perpetua lege axis ejus ita liberetur, ut Boreale illud & Australe punctum in cœlo accuratissime & continuè observetur, ipsaque sic spirali quodam motu Eclipticam percurrat, trecenties nimirum sexages quinque circiter sese circumvertens, priusquam totum Zodiacum absolvat & percurrat; Neque autem putandum est, illam separatim moveri, sed cum toto suo vortice, qui se usque ad concavum Lunæ extendit, deferri, omni ex parte materiâ fluidâ ipsam cingente. Ex quibus apparet Terram, non simplici & unico saltem, sed composito nimirum triplici

C

move.

moveri motu. Habet enim duos in se ipsam & unum progressivum, per circumferentiam orbis magni. Primus qui fit in se ipsam motus, est diurnus Græcis *ἡμερησίως* vocatus, & spatio viginti quatuor horarum, ab occasu in ortum circa proprium axem absolvitur, efficiens diem & noctem: Nempe eadem Terræ pars nunc in Solem conversa die fruitur, nunc aversa tenebris cooperitur nocturnis: Dum ipsæ interim cæli partes, quæ ex ordine quasi occurrunt & regetantur oriri; Quæ verò ex opposito retrò abeant occultanturque, occidere videntur.

THES. II.

SECUNDUS Terræ motus circa Solem est annuus ab occidente quoque in orientem juxta successionem signorum Zodiaci, sphaeras Veneris & Martis ambitu suo complectens & circulum duodecim signorum seu sub duodecim signis Zodiaci describens: Quà ratione efficitur, ut ipse Sol in centro universi quiescens, tanquam visibilis aliquis Deus, quemadmodum eum Hermes Trismegistus appellat, per Zodiaci signa contraria iis, quæ Terra peragrat, decurrere videatur. Nam cum Terra est constituta in librâ, Sol apparet in Ariete, transeunte autem Terra ex libra in Scorpionem, apparet Sol transire ex Ariete in Taurum, & sic consequenter. Scilicet Terra revera sub Zodiaci signis magnum orbem peragrat, & Eclipticam percurrit, Sol tantum apparenter.

THES. III.

TERTIUS Terræ motus intra annum spatium conversione in se ipsum absolvitur, fitque contrà motum illum centri Terræ & contrà successionem signorum, ab oriente ad occidentem, estque nihil aliud, quàm ipsa deflexio
axis

axis Terræ à Parallelismo cum axe Eclipticò; Non autem revera novus est motus, sed quædam quasi motuum superiorum modificatio. Hic verò motus axis terrestris admodum in rerum natura est utilis. Si enim Terra motum centri tantùm simpliciter sequeretur nulla appareret dierum & noctium in æqualitas, sed semper vel solstitium, vel bruma, vel æquinoctium, vel æstas, vel hyems, vel utrumque seu eadem temporis qualitas semper sibi similis, maneret: Posito autem motu hocce inclinationis omnia mirabili harmonia sibi in vicem respondent. Et triplex hic Terræ motus hodie à plerisque omnibus cum Astronomis tum Philosophis ob eximiam quam præfert concinnitatem & in determinandis cœlestibus phœnomenis facilitatem, admittitur. Quia verò hypothesis illa & sensui & sacris literis non nihil adversari videtur, fit ut Theologi nonnulli aliique, qui eam cum sensibus suis aut sacra scriptura conciliare nequeunt, ab eâ recedant & vel veteri Ptolomaicæ, vel recentiori Tyconicæ, quæ Terram immobilem supponunt hypothesis licet minùs veræ, assentiantur, sed videamus breviter præcipua eorum argumenta, quibus Terræ motum oppugnant.

THES. IV.

PRima igitur objectio à sensu desumpta, maximè movet homines vulgares, quorum præcipua notitia in sensu & ex sensu consistit formari potest, ita: Solem moveri & circumire circa Terrâ, quotidie sensu oculorû percipimus: At Terram moveri nullus nobis sensus testatur, Ergò Solem potius quàm Terrâ moveri credendum est. Sed respondemus; Nego sensui potius quàm rationi in hac re fidendû, cum propter illam magnâ sensibilis remotionē nos facile fallere possit, ratio autem satis clara sit ad contrariû nobis persuadendum. Quid, quòd sensus neq; Solem neque

Terram moveri nobis manifestū reddere possit, cū neq; in propioribus satis certus veritatis arbiter cōstituatur. An non enim iis, qui navi vel etiam curru vehuntur, littora & montes & arbores recedere videntur? unde Virgilius: Provehimur portu Terræq; urbesque recedunt. Cū tamen illi ipsi, qui in navi sunt, non dubitant, se simul cum navi à Terrâ montibusque recedere, eaque respectu ipsorum revera sint, ut quiescentia spectanda. Quid verò impedit quò minùs nobis eodem modo contingere possit, ut nobis unâ cum Terrâ circumvectis, videantur Sol & astra recedere. Non ergò sensus in tam arduâ quæstione, sed ratio consulenta, quâ si rectè utamur, delationem illam non Soli, sed Terræ convenire judicabimus.

THES. V.

Porrò nobis objiciunt: si Terra moveretur, tunc saltem motum istum sentiremus, dū cum ipsa circumvehimur, etiam clausis oculis, quemadmodum navi vectus motum navis sentire potest: Nihil autem tale quispiam hominum expertus est, ergò Terra planè non movetur. Verūm nos non solam Terram moveri dicimus, sed totum ejus vorticem usque ad Lunam unâ cum Terra circumferri, cujus magna est quantitas, ut ejus diameter censetur esse bis millenorum millium milliarium Germanicorum: Non ergò mirum nobis esse debet, si Terra in isto vortice delata non impingat. Secundò motus navis non sentitur, si planè æquabiliter deferatur, nec à ventis concutiatur: Cū ergò & Terræ æquabilis sit delatio, quandoquidem nihil est, in quod impingere possit, fieri nequit, ut nos cum Terra delati motum ejus sentiamus.

THES. VI.

Tertiò nobis objiciunt: si Terra feratur versus ortum ob occasu, apparerent aves, nubes, aliaque in aëre suspensa.



Spensa rapidissimè semper ferri in occasum tanquam reli-
 cta à nimio Terræ raptu : sed hoc experientia non testa-
 tur. Ergò Terra non movetur. Sed negamus connexi-
 onem majoris : Nam hæc omnia unà cum Terra eadem
 celeritate feruntur ab occasu versus ortum, neque à cor-
 poribus proximis & immediatè sibi contiguis recedunt,
 uti satis ex eo apparet, quòd supra ostendimus, nempe
 quòd Terra non separatim, sed à vortice suo delata, qui
 longè sese ab utraq̃ parte extendit, moveatur. Nam
 quemadmodum pisces in scaphâ piscatoriâ aquâ plenâ &
 navi alligatâ, & si huc illuc discursitent, semper tamen
 cum navi transferuntur, sic quoque cogitandum de volu-
 cribus & nubibus in aëre motis, quòd semper in & cum
 isto vortice transferantur.

THES. VII.

Quartò nobis objiciunt : si Terrâ moveretur, motu
 adeò rapido, ut spatio viginti quatuor horarum, circa
 axem suum convolveretur, verendum ne illa per hunc
 motum dissiparetur, ædificia corruerent, turres conqua-
 sarentur, humi crescentia hoc motu impedirentur, & de-
 struerentur. Respondemus, nihil in nostrâ sententiâ ef-
 se periculi; Si autem statueremus, omnia spatia circa Ter-
 ram, quæ ab ipsius materia non occupantur, nihil conti-
 nere nisi corpus, quod motus aliorum corporum nullâ ra-
 tione impediret, nec juvaret, tum quidem futurum esset,
 ut propter circumvolutionem Terræ circa suum axem,
 illæ omnes ejus partes, quæ sibi mutuò non essent alligatæ,
 hinc inde versus cælum dissilirent: Eodem modo, quo vi-
 dere licet, dum turbo gyrat, si arena supra ipsum conjicia-
 tur, eam statim ab illâ recedere, atque in omnes partes
 dispergi, uti Cartesius eleganter docet Princip. 4 art. 21.
 At cum nostra sententia sit, Terram in vertice tanto, qui se




usque ad Lunam extendat, deferri, tum annuam delatione circa Solem, tum diurnam circa proprium axem, globulosque cœlestes omnia corpora gravia continuè versus Terram deprimere, quod Cartesius art. 20. princip. 4. clarè ostendit, quomodo motus hic quiete animalium, ædificiorum, crescentiumque in Terrâ &c. obesse possit, non videmus. Terra enim non proprio, sed communi motu movetur, ab eoque quod ad proprium motum intra certum locum cœli immobilis & planè quieta existens, cum omnibus tamen corporibus usque ad concavum Lunæ adeoque motu communi circumfertur, uti sæpius dictum est. Sed hæc de materiâ propositâ pro temporis & instituti nostri ratione breviter dicta sufficiant. Tibi verò, Alme Deus, pro præstita Tua ad hanc opellam gratia sit laus, honor & gloria in sempiternum. Amen!



C O R O L L A R I A.

1. *A qua gravitas in fundo fluminis non sentitur.*
2. *A Basilisco hominem visu necari, figmentum est.*
3. *Canes odoratu alia animalia excedere, in aprico est.*
4. *Distantia partium vacuum Epicuri non probat.*
5. *Equos in Lusitania ex vento nasci, non est probabile.*
6. *Ferrum si in aquam candens injiciatur, durius evadit.*
7. *Græci ignes aquis extinguere non possunt.*
8. *Hominem cetera animalia tactu excedere in confesso est.*
9. *Aqua*

9. *Aqua subterranea quomodo ad summitatem montium ascendat, respondebimus rogati.*
10. *Luna celerius movetur quam Terra.*
11. *Mens finita de infinito nihil determinare potest.*
12. *Nubes altissimæ ex particulis glacialibus constare dicimus.*
13. *Odores æstate melius quam hyeme sentiuntur.*
14. *Piscium cor à corpore avulsum movetur.*
15. *Ros si manè abest signum est pluviae.*
16. *Salis granum oleo mixtum impedit ne lampas tam citò consumatur.*
17. *Terra inter planetas numeranda est.*
18. *Voces melius intra quam extra cubiculum audiuntur.*



P R Æ S I D I S


Ad Pereximium Dominum Resp.

κέλευσμα.

Qui claras rerum videt & discernit ideas,
 Et verum methodo colligit inde bonâ;
 Non hunc Scripturæ, non legum sensa latebunt,
 Non, quæ sub vario schemate terra tegit.
 Hic poterit rebus pretium statuisse quibusvis:
 Quid distet fragili lucida gemma vitro.
 Ac, velut in puro Divinum lumine Numen,
 Et quasi depositâ cætera veste notat:
 Sic non occultat vapidò sub pectore vulpem,
 Scrinia sed cordis semper aperta gerit.
 Supremum Numen devotâ mente veretur,
 Usibus humanis se, sua cuncta sacrat.

Hunc

Hunc ego pro modulo sapientem credo vocandum,
 Dum reliquos passim devius erat agit.
 Huc dum Te video teneris contendere ab annis,
 BAUERE, ut verum scire bonumque queas:
 Non dubito, quin sis sic amplexurus utrumque,
 Ut verum nobis des aliquando sophon.
 Ipse Tibi talem sincero pectore mentem
 Gratulor, & cœptis prospera quæque precor.



Was haben die Bauern für Grillen bekommen?
 Wer hat davon jemahls wohl etwas vernommen/
 Daß jenes hellbrennendes Feuer soll stehen/
 Die Erde sich Anckerloß welkend fortgehen?
 Ich glaube/ wolt jemand die Bauern beschwätzen/
 Sie solten ihm dapffer mit Brügeln zusehen/
 Und schreyen: Was sind das für närrichte Sachen/
 Die Leute verblenden / und Augenloß machen?
 Wir sehens/ und findens in unsern Calendern/
 Daß sich die Gestirne des Himmels verändern:
 Wir stehen als Glöke ganz still auff der Erden:
 Ey lieber! was wolte da endlich aus werden?
 Ey! wann sich das unterst' auff's oberste kehret/
 So wird ja doch eins mit dem andern zerstöret.
 Wie kömt es dann / daß sich ein Bauer hier findet/
 Der dieses mit hohem Geist tieffer ergründet?
 Gewißlich / sie werden hierüber erbossen:
 Und diesen aus ihrer Gesellschaft verstoßen:
 So wollen wir alle die Bauern beschämen/
 Und diesen verständigen Bauer auffnehmen.
 So kömt dann/ Herr Bauer/ in unsere Mauer/
 Ihr seyd nun ein Bürger/ und nicht mehr ein Bauer/
 Ein Bürger in Pindus vergöldeten Thoren:
 Euch haben die Musen zur Weißheit erkohren.

Also riefen Herr Bauer glückwünschend zu
 Desselbigen sämtliche

Tischgenossen.



01 A 66 06

ULB Halle 3
002 937 204



sb.

V 17





99

Q. D. B. V.
 DISPUTATIO PHILOSOPHICA,
 exhibens
SOLIS QUIETEM
 ET
TERRÆ MOTUM,

Quam
Auxilio Numinis Divini assistente,
 PRÆSIDE
 VIRO *Excellentissimo Clarissimo nec non*
Doctissimo
DN. GEORGIO OTHONE,
 Phil. Mag. Lingg. & Poës. Prof. Ordin. nec
 non Academiae Bibliothecario, Patrono
 atq; Præceptore suo nunquam non
 devenerando colendo,

Ad diem 23. August. Anno M. DC. XC.
Horis locoq; solitis

publicè ventilandam proponit
IOHAN. WERNERUS Baur/
 Author & Respondens.

Marburgi Cattorum,

Typis JOH. JODOCI KÜRSNERI, Acad. Typogr.
 Anno M. DC. XC.

